

rantibus Nortalbingos Saxones iure Holzatenſi, hoc eſt Saxo-
nico, at non ſcripto, iam uſos fuiſſe, ex Presbytero Bremeniſi,
cuius chronicon Molleri aetate nondum fuit editum, facile
oſtenditur. Ille cap. XVI. pag. 31. *Volebant, inquit, Dani,
ſicut coeperant, totam terram Holfatiae ſubiicere ſibi et legibus
ſuis. Ita ut lex Holfatorum in ius vulgare extingueretur in
toto, et quod deinceps, ſecundum legem et librum Danorum,
Loeboke, deberet iudicari. Super quo Holzatenſes, Danis ſub-
iecti, ſunt multum conqueſti, quod legibus ſuis ſolitis ab anti-
quo deberent priuari, et noua incognita uti, ita quod remurmu-
rare contra Capitaneum in caſtro Segeberge poſitum inceperint,
quando aliam legem et aliud ius quam ſuum ſolitum imponere
niſus fuit, dicentes, uti lege ſua uelle Holzatenſi. Ad quos idem
Capitaneus reſpondit: oſtendatis mihi ius ueſtrum et ego ſecun-
dum illud diiudicabo uos. Nam dixit: ex proprio capite fingi-
tis ius ueſtrum. Noſtrum autem Danorum eſt ius praecſcriptum
ſecundum ſcripturas. Scio, uos et me regere, ueſtrum ius ne-
ſcio, quia non ſcriptum eſt, diuinare non ualeo. Quod ius
non ſcriptum Holfatorum dicere non dubito cum Lambe-
cio Saxonico propterea, quod Presbyter Bremeniſis ea,
quae huc ex ipſo tranſcripſi, ad annum 1174 commemorauit,
et Helmoldus uero, iura Saxonica tenentes Holfatos narrans,
paulo ante morte extinctus eſt. Vid. Petr. Lambecius in ori-
ginibus Hamb. pag. 29 et 30. editionis Fabricianae.*

§. XXVI.

Sed quid in re aperta coniecturis congerendis que vete-
rum annalium testimoniis immorandum? Ex ipsis formulis
pactisque certis ac solennibus verbis conceptis res est mani-
festa. Neque indigemus Erici Mauriti, Professoris iuris olim
primarii Kiliensis excellentissimi, auctoritate, ut haec ma-

Vsum iuris
Saxonici
hodiernum
in Ducatu
Holfatiae
ipſae Conſti-
tutiones et
Ordinatio-
nes Iudicia-
les probant.